CONCLVSIONES EX VNIVERSA PHYLOSOPHIA.

Quæſtio diſputanda.

Vtrum rerum eſſentiæ, antequam à Deo producantur, ſint entia realia, & poſitiua?

PRÆERIT P. GEORGIVS CABRAL, E Societate IESV.

Tuebitur Dominicus Rodericus à Veiga, integro die Sabbat. 10. Mart.

CONIMBRICÆ.

Ex Officina Didaci Gomez Loureyro Academiæ Architypographi.

Cum facultate Inquiſitorum, & Ordinarij, Anno 1607.

EX DIALECTICA.
PRIMA CONCLVSIO.

DARI naturas vniuerſales, quę à ſingularibus realiter ſeparatę exiſtant, manifeſta eſt implicatio: ſunt tamen veræ res in indiuiduis cõtractæ ſolùm exiſtentes, & ab illis per intellectũ abſtrahuntur, quando vel habitualiter in ſpecie intelligibili, vel actualitèr in conceptu repræſentantur ſine differentijs indiuiduantibus, à quibus ſolùm virtualiter diſtingui probabilior fert opinio. Vtrum autem admiſſa formali diſtinctione ex natura rei inter gradus metaphyſicos (quod etiã probabile iudicamꝰ) neceſſariò concedendum dari vniuerſale à parte rei, pro vtraque parte diſputetur. Vniuerſale autem quatenùs abſolutum, ex vnitate formali, & præciſionis, aptitudineque ad eſſendũ in multis, integratur: nihil tamen poſitiuum naturæ adiungit. Vnitas formalis cum natura ſemper inuenitur. Vnitas verò præciſionis, & aptitudo ne remote quidem in ſtatu contractionis reperiuntur.

EX LIBRIS PHYSICORVM.
CONCLVSIO II.

QVATVOR genera cauſarum ſolẽt à Phyloſophis numerari, inter quas finalis, & exemplaris rigoroſè phyſicæ, & reales non ſunt, quaſi ab illis aliquis effectus, quo ad ſuam intrinſecam entitatem, per verum, & realem influxum dependeat. Cauſa materialis reſpectu formæ ſubſtantialis educibilis de potentia ſubiecti, eſt materia prima, quę eſſẽtialiter eſt pura potẽtia, ingenerabilis, & incorruptibilis, per ſuã met entitatẽ, abſq; alio principio, dãs eſſe formæ per cauſalitatem (quę dicitur vnio) realiter identificatam cũ ipſa forma. Forma vero ſubſtantialis ſimiliter cauſat materiam, actuando illam per vnionem ſolum à materia modaliter diſtinctam; ex vtraque vero vnio totius compoſiti reſultat, quod à ſuis partibus vnitis non diſtinguitur. In humano cõpoſito vna ſimplex vnio, ſeu cauſalitas formæ, reperitur, quæ cum materia identificata materialis eſt.

CONCLVSIO III.

CAVSAE ſecundæ efficientes, licet non niſi depẽdenter à cauſa prima ſuos producant effectus, omnino tamèn certũ eſt, eas ipſorũ productiones attingere. Vtrùm verò immediatum principium, quo vna ſubſtantia aliam producit, non ſolum ſint qualitates operatiuæ, ſed etiam ipſa ſubſtantia, pro vtraque parte ventiletur. Reſpectu generationis accidentis ſolum accidentarium principium ſufficit, cum dependentia tamen à ſubiecto, cui vt ſuppoſito actiones principaliter attribuuntur. In reſultantijs tamen proprietatum, ſola ſubſtantia immediatum principium cenſetur, non tamen principale, quod eſt generans. Vtrum autem actiones vitales immediatè ab anima, & à potentijs ſimùl eliciantur, problema ſit, cuius affirmatiuam partem cum maiori certitudine defendã. Approximatio inter materiam & formam nõ poteſt diuinitus ſuppleri.

EX METAPHYSICA.
CONCLVSIO IIII.

ESSENTIÆ rerum, antequam à Deo producantur, ſunt entia realia, & poſitiua, vnde eſſentia, & exiſtentia ex natura rei modaliter differunt; ex vtraque vero ens actuale conſtituitur. Exiſtentia ſubſtantiæ nullo modo diſtinguitur ab exiſtentia per ſe, inhærẽtia tamen accidentis ab exiſtẽtia modus diuerſus eſt: vnde hoc per ordinẽ ad potentiam diuinam indifferens eſt ad exiſtendum per ſe, aut in alio. Subſtantię vero tam completę quam incompletæ, etiam diuinitus, repugnat dependere à ſubiecto per inhęrentiam. Subſiſtentia eſt modus ab exiſtentia naturæ diſtinctus, ſinè quo non poteſt diuinitus conſeruari: aut ſinè alio gerente vicem illius, qui ipſi naturæ cõmunicetur, nempe ſubſiſtentia diuina relatiua, aut abſoluta: creata vero aliena alteri non poteſt diuinitus communicari.

CONCLVSIO V.

CORPORA cœleſtia, licet ex materia, & forma cõponantur, incorruptibilia tamẽ ſunt. Nõ ſolum à ſublunaribus ſecundum formas, ſed etiam inter ſe ſpecificè diſtinguuntur. Vtrum hoc ipſum fiat, ſecundum materiã diſputabitur. Quantitas ipſorũ eiuſdem ſpeciei eſt cum ſublunari: per accidens tamen indiuiſibilis ratione ta[illegible] ſubiecti. Notis, & occultis influunt qualitatibus: nulla tamen licet imperfecti viuentis generatio eis tanquam cauſæ principali attribuenda. Nullum corpus cœleſte, vel ſublunare, pluribus motibus in eodem tempore cieri poteſt, quanuis alter illi per ſe, alter per accidẽs conueniat, licet ambo ſint circulares, vel ambo recti, vel alter circularis & alter rectus.

EX LIBRIS DE GENERATIONE.

CONCLVSIO VI.

GENERATIO ſubſtantialis eſt proceſsio à priuatione formę, ad ipſam formam ſubſtantialem in materia. Priuatio prior tempore non requiritur, vnde in eodem inſtanti, quo materia creatur, poteſt forma generari, in quo caſu implicat actualiter materiam eſſe priuatam nec prioritate naturę. In corruptione compoſiti phyſici datur reſolutio vſque ad materiam primam: in eo vna tantum ſimplex forma reperitur: vnde forma corporeitatis fictitia eſt. Tres in animali perficiuntur concoctiones, quarum prima fit in ventriculo, vbi chylus, & aliqua portio pituitæ generatur. Secunda in iecore vbi quatuor humores generantur: tertia in poris membrorum, per quam alimẽtum in formam membri diſponitur.

CONCLVSIO VII.

MIXTIO eſt mixtilium alteratorum vnio: ad illam requiritur pręexiſtentis formę corruptio; vnde elementa, quę proprie mixtilia ſunt, in mixtis non remanent formaliter, ſed tantum virtualiter, ratione quatuor primarum qualitatum, ex quibus vnaquęque alicui elemento in ſummo conuenit, altera in excellenti, cũ reſiduo contrarię qualitatis; in vnoquoque enim corpore, in quo duę qualitates contrarię inueniuntur, totam vnius latitudinem, hoc eſt octo gradus, perficiunt. Mixtorum autem tẽperamentum, non in vna ſimplici qualitate, ſed in aggregatione omnium primarũ cõſtituendum. Diuiditur in difforme, & in vniforme, ſeu ad pondus, quod in re viuenti, quo ad omnes ipſius partes reperiri non poteſt.

EX LIBRIS DE ANIMA ET ETHICIS.

CONCLVSIO VIII.

ANIMA, quę definitur actus primus, ſubſtantialis, corporis organici, iuxta tripartitam illius diuiſionem varijs potentijs adornatur. Quatenus vegetatiua tres habet operationes, quę ab vna & eàdem potentia oriuntur, ſcilicet, nutritionem, accretionem, & generationẽ. Animę ſenſitiuæ quinarius eſt ſenſuum externorũ numerus. Vtrum autem ſenſus interni plures an vnus ſit, pro vtraque parte diſputetur. Ad omnes eorum actiones ſpecies immediatè, & effectiue concurrumt. Hominis naturalis beatitudo duplex, practica, & ſpeculatiua: hæc in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarũ præcipue collocatur: illa vero in virtutum operationibus conſtituenda: earum habitus practici quatuor in genere numerantur, primus intellectualis, qui prudentia nũcupatur, tres alij iuſtitia, fortitudo, & temperantia.

EX METEORIS ET MINORIBVS NATVRALIBVS.

CONCLVSIO IX.

DVPLEX eſt meteororum materia: vtraque diuiditur in proximam & remotã: hæc eſt terra & aqua, illa vero vapor & exhalatio. Iris eſt arcus multicolor in nube rorida, opaca, & concaua ex radiorum Solis oppoſiti reflexione apparens oculis ſpectantium. Cometa qui inter omnes ignitas impreſsiones principalem obtinet locũ materia cęleſti non conſtat ſed ſublunari. Somnus eſt ligatio omnium ſenſuum externorũ aut ſaltem aliquorum, ad animantium vitam & ſalutem à natura inſtituta. Somniũ, quãuis plures internos ſenſus admittam, in ſola phantaſia fabricatur, mediantibus ſpeciebus in ipſa phantaſia reſidentibus.

Quęſtioni reſpondet quarta Concluſio.

EX LIBRIS DE COELO.

CONCLVSIO V.

CORPORA cœleſtia, licet ex materia, & forma cõponantur, incorruptibilia tamẽ ſunt. Nõ ſolum à ſublunaribus ſecundum formas, ſed etiam inter ſe ſpecificè diſtinguuntur. Verum hoc ipſum ſit, ſecundum materiã diſputabitur. Quantitas ipſorũ eiuſdem ſpeciei eſt cum ſublunari; per accidens tamen indiuiſibilis ratione ſui ſubiecti. Motis, & occultis influunt qualitatibus; nulla tamen licet imperfecti viuentis generatio eis tanquam cauſæ principali attribuenda. Nullum corpus cœleſte, vel ſublunare pluribus motibus in eodem tempore cieri poteſt, quamuis alter illi per ſe, alter per accidens conueniat, licet ambo ſint circulares, vel ambo recti, vel alter circularis & alter rectus.

EX LIBRIS DE GENERATIONE.

CONCLVSIO VI.

GENERATIO ſubſtantialis eſt proceſſio à priuatione formæ, ad ipſam formam ſubſtantialem in materia. Priuatio prior tempore non requiritur, vnde in eodem inſtanti, quo materia creatur, poteſt forma generari, in quo caſu implicat æqualiter materiam eſſe priuatam nec prioritate naturæ. In corruptione compoſiti phyſici datur reſolutio vſque ad materiam primam in eo vna tantum ſimplex forma reperitur, vnde forma corporeitatis ficititia eſt. Tres in animali perficiuntur concoctiones, quarum prima fit in ventriculo, vbi chylus, & aliqua portio pituitæ generatur. Secunda in iecore vbi quatuor humores generãtur: tertia in poris membrorum, per quam alimẽtum in formam membri diſponitur.

CONCLVSIO VII.

MIXTIO eſt mixtilium alteratorum vnio: ad illam requiritur præexiſtentis formæ corruptio; vnde elementa, quæ propriè mixtilia ſunt, in mixtis non remanent formaliter, ſed tantum virtualiter, ratione quatuor primarum qualitatum, ex quibus vnaquæque alicui elemento in ſummo conuenit, altera in excellenti, cũ tamen contrariæ qualitatis; in vnoquoque enim corpore, in quo duæ qualitates contrariæ inueniuntur, totam vnius latitudinem, hoc eſt octo gradus, perficiunt. Mixtorum autem tẽperamentum non in vna ſimplici qualitate, ſed in aggregatione omnium primarũ cõſtituendum. Diuiditur in difforme, & in vniforme, ſeu ad pondus, quod in re viuenti, quo ad omnes ipſius partes reperiri non poteſt.

EX LIBRIS DE ANIMA ET ETHICIS.

CONCLVSIO VIII.

ANIMA, quæ definitur actus primus ſubſtantialis corporis organici, iuxta tripartitam illius diuiſionem variis potentiis adornatur. Quatenus vegetatiua tres habet operationes, quæ ab vna & eadem potentia oriuntur, ſcilicet nutritionem, accretionem, & generationẽ. Animæ ſenſitiuæ quinarius eſt ſenſuum externorũ numerus. Vtrum autem ſenſus interni plures an vnus ſit, pro vtraque parte diſputatur. Ad omnes eorum actiones ſpecies immediatè, & effectiuè concurrunt. Hominis naturalis beatitudo duplex, practica, & ſpeculatiua: hæc in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarũ præcipuè collocatur: illa verò in virtutum operationibus conſtituenda, earum habitus practici quatuor in genere numerantur, primus intellectualis, qui prudentia nũcupatur, tres alii iuſtitia, fortitudo, & temperantia.

EX METEORIS ET MINORIBVS NATVRALIBVS.

CONCLVSIO IX.

DVPLEX eſt meteororum materia: vtraque diuiditur in proximam & remotã: hæc eſt terra & aqua, illa verò vapor & exhalatio. Iris eſt arcus multicolor in nube rorida, opaca, & concaua ex radiorum Solis oppoſiti reflexione apparens oculis ſpectantium. Cometa qui inter omnes ignitas impreſſiones principalem obtinet locũ materia cœleſti non conſtat ſed ſublunari. Somnus eſt ligatio omnium ſenſuum externorũ aut ſaltem aliquorum, ad animantium vitam & ſalutem à natura inſtituta. Somnia, quamuis plures internos ſenſus admittam, in ſola phantaſia fabricantur, mediantibus ſpeciebus in ipſa phantaſia reſidentibus.

Quæſtioni reſpondet quarta Concluſio.